(8

PETRO ANTONIO GEORGIO

CONGREGATIONIS CLER. REG. DE SOMASCHA

E CENETENSI SEDE


AD METROPOLITANAM UTINENSEM

NUPER EVECTO

ORATIO


JACOBI SERAFINI

ELOQUENTIÆ PROFESSORIS IN SEMINARIO.



UTINI, MDCCXCIII.

APUD HIERONYMUM MURERO.)(*Super. Permissu.*


414

GRATULATIO





Em novam, Ornatiſſimi Viri, & majorum noſtrorum memoria inauditam hæc Civitas anno ſuperiore vidit. Nam ex clariſſimorum virorum numero & cœtu, qui ſacra in his locis adminiſtrarunt, quorum formæ cum rerum geſtarum monumentis Archiepiſcopalem aulam exornant, quis unquam fuit, qui tam ſublimi gradu dignitatis atque honoris, ut inferiorem alium aſſequeretur, ſemetipſum propria voluntate abdicarit? At enim quem ſacrum Paſtorem litte-

rulæ noſtræ in adventu poſteritati commendarunt, etſi e conſpectu noſtro ſeſe eripuit, tamen fore polliceor certe quidem, ut qua obſervantia & quo ſtudio apud nos commorantem colendum eſſe ducebam, eodem, quoad vita ſuppetet, ſempiterna cum recordatione proſequi non deſiſtam. Etenim ipſum inſigni pietate præditum quo animo tum fuiſſe arbitramur, cum non ſine Dei Optimi Maximi conſilio res illa ſit perfecta, ad quem in re tanta & tam gravi ſupplex confugiebat, quem diu multumque precabatur, quo tandem divino Numine fretus ad Torcellanam Eccleſiam gerendam ſe contulit? Mihi ſane ante oculos obverſatur, quod ille a nobis decedens maximopere exoptabat. Exoptabat autem, ut præclariſſimo Petro Antonio Georgio potiſſimum e Cenetenſi Eccleſia aditus ad hanc Metropolim pateret: ut virum talem omni laude præſtantem, quem communi fama, ampliſſimiſque judiciis celebrari videbat, Veneti Patres hac tanta dignitate ornandum exiſtimarent: ut Senatus Civium noſtrorum populorumque omnium, qui ipſum uno conſenſu & una voce Metropolitanum Antiſtitem depoſcebant, mentem & voluntatem ſpectaret. Ita profecto. Quamobrem cum ille nobis dies,

Præ-

Præſul Ampliſſime, illuxit, quo te deſignatum eſſe ſermones ac litteræ pertulerunt, quo quidem tempore exhilarata Civitas id nuncii accepit, quod unum maxime expetebat, quinam inventi ſunt omnium generum atque ordinum viri, omnis fortunæ ac loci, qui ſingularem animi jucunditatem gratulationibus habendis non ſignificarint? Qui judicium Senatus de te graviſſimum & maximum ſummis laudibus non extulerint? Qui omnium rerum moderatori Deo gratias immortales non egerint? Verum hæc Civitatis & populi tanta ſignificatio ſine ulla varietate univerſi unde quæſo emanavit?

Scio equidem quid contingit, cum petitio ſubſit honorum. Fama enim, quæ longe lateque circumvolitat, quinam nominari poſſint, ſtatim requirit, quo genere vitæ ſint & qua natura & quibus moribus ornati, celeriter efflagitat. Si quid autem vitii nacta fuerit, id taciturnitate non occultat: cujus ſtatim non divulgat? Citius dixerim; omnia non modo, quæ reprehendi palam, ſed etiam quæ obſcure cogitari poſſunt, audacter commemorat. Nonne integerrimam quoque vitam hominum clariſſimorum maculis interdum aſpergit quibusdam? Cum vero de Petro Antonio Georgio

mentionem honorificentiſſimam fieri audiremus, cur nulla varietas fuit inter homines opinionis, nulla voluntatum, nulla ſermonis?

Nunc profecto, cum non jam ſuſpenſi & incerti ſollicita expectatione pendemus, ſed novum Paſtorem oculis præſentem intuemur, ſuoque jucundiſſimo aſpectu mirifice recreamur: in hac nobiliſſimorum & litteratiſſimorum hominum corona, hoc tam hilari civium conventu, hac circumfuſa tot adoleſcentum Clericorum frequentia, illud eſt obnitendum mihi, quod pergratum vobis confido futurum, ut oſtendam pro mei ingenii exiguitate, e quibus ille fontibus ad tantam, quantam videtis, profluxerit hominum exiſtimationem, ut omnes demum intelligant, cur tantum in animis omnium noſtrum deſiderium ſui excitarit.

Sed antequam ad rem ipſam propius veniat oratio, date mihi, precor, veniam hanc, Auditores Ornatiſſimi, ut familiæ vetuſtatem, unde optimus vir ortum habuit, breviter paulo altius repetam. Ex ea enim familia prodivit, quæ quondam in Germanorum Imperio florentiſſima conditione fortunæ utebatur: in Italis finibus deinde cum domicilium rerum ſuarum collocaſſet, egregiorum Ducum copiam tulit, qui Ticinenſem provinciam adminiſtra-

ſtra-

strarunt: denique ut communium temporum immanem procellam devitaret, quæ christiano nomini impendebat, in tranquillum Adriani maris sinum procul a barbaris disjunctum gentibus profugit. Itaque Majores sui cum cæteris Italiæ nobilissimis viris, qui eodem recesserant, ut sartam tectam Religionem libertatemque conservarent, Venetæ urbis omnium fortissimæ atque pulcherrimæ fundamenta jecerunt, quam unam liberam semper fuisse, & totius Europæ splendorem, merito gloriamur.

O præclarum genus, optimorum civium ferax, divinitus Reipublicæ datum, ut Venetam gloriam domi & foris quam maxime illustrarent! Ex hoc esse numero Fantinum illum præsertim, ex hoc Paponem, & Petrum, ex hoc Marinum imprimis, qui singulari quadam in laude versantur: quorum prior ille ad bellum maritimum gerendum profectus magnam hostium classem instructam & ornatam apud Tenedum summa virtute depressit: alii duo Corcyram Melænam in Venetorum potestatem redegerunt; quod Senatus par clarissimorum ducum singularibus honoribus decoravit, cum propter magna ipsorum merita nemini olim, nisi Georgiorum genti, illius insulæ administratio tribueretur:

tur: posterior tandem aureo diademate & Ducali sceptro insignis, cum ædem & templum divo Dominico dicatum e solo suis sumptibus eduxisset, cumque eo potissimum curam & laborem contulisset, ut patria sibi carissima omni virtutum genere splenderet, tanta morum integritate fuit, ut sanctum ipsum, dum in terris degeret, vulgo nominarent. Quid ego Franciscum, & Marcum scriptores ornatissimos locupletissimosque in medium proferam, aut Bartholomæum ex poesi nobilem & clarum, aut Marinum alterum dicendi facultate præstantem, aut denique Benedictum prædicem litteratorum Mecœnatem amplissimum? Etenim hæc vetera etsi libenter auditis: tamen vereor, ne quis forte vestrum miretur, quorsum hæc oratio tam alte repetita spectarit. Ut nempe contentione facta perspiceretis, an is, quem aliis ereptum nobis superi donarunt, id sua virtute perfecerit, ut quanto honore ex veterum suorum dignitate afficeretur, tantundem illis ornamenti ex sua laude reddiderit.

Velim tamen, ut ea me dicendi ratione uti patiamini, quæ tempori magis accommodata videatur. Dicam enim primo loco prope acervatim, quæ sunt integerrimæ famæ, quam est adeptus

ve-

veluti solum quoddam atque fundamentum: deinde vero eam virtutem inspiciemus, quæ me ad se se rapit, qua omnem curam operam & laborem suum condecorandum existimavit.

Ipsum quidem non ad patrium magistratum capescendum spes amplissimorum præmiorum adduxit, non ad classem administrandam, qua Veneti hac nostra etiam ætate plurimum valent, cupiditas gloriæ detulit: sed vitam uni religioni dicatam a fluctibus rerum urbanarum & forensi strepitu remotam, magnificentissimæ Urbis celebritate relicta, a patriis focis secedens maluit sequi. Cujus prima ætas cum in Somascho Collegio disciplinis dedita esset, iisque artibus, quibus alii patricio genere adolescentes instruebantur, inde usque spem firmissimam nunciabat maximarum virtutum, quas nunc in ipso tantopere admiramur. Jam tum erat propter suavissimos atque optimos mores & præstans ingenium illi sodalitati carus maxime atque jucundus: quam cum ipse gravissima sanctissimaque disciplina, & eruditissimorum hominum copia florentem videret, tum ad impensissimam illam voluntatem, & flagrantissimum religionis amorem exarsit, ut illud vitæ genus incredibili quadam animi sui alacritate

non



non minus, quam illorum gaudio delegerit. Etenim ipsum a toto Collegio expetitum veluti juventutis florem & condiscipulorum decus in illum Ordinem adsciverunt. Atqui hoc percommode accidit, quo paratior ad gravissimum in Ecclesia munus peragendum, promptiorque esset, ad quod extolli divinitus aliquando deberet.

Itaque in eo recessu cum laudatissimum vitæ cursum persequeretur, quem ab initio inivit, quandoquidem omnia consilia atque facta ad Dei gloriam revocabat, sine qua nihil in vita quærendum ducebat; cum optimos æmularetur, quorum nemini concessit, plus ut sanctitate morum, plus ut litterarum varietate, plus ut gratia inter suos valeret: hæc cum faceret, quæ egregium nescio quid præmonstrare ac præcinere videbantur; tum honores illi in ea familia delati sunt non postulanti, verum etiam non appetenti. Nam communi contubernalium suorum studio contigit, ut Brixiensi in civitate primum, Venetiis deinde eidem sodalitati præficeretur: suæque administrationis splendor hactenus etiam illi florentissimo Ordini lucet. Nonne postea quoties eam domum hospes adivit, omnes ipsum benevolentia ut parentem amantissimum, officio ut gubernatorem ac præ-

sidem

ſidem diligentiſſimum, lætanti animo ut angelicum hominem exceperunt?

Sed quoniam ad eos honores ut proveheretur, non ſolum pietatis ac religionis, verum etiam ingenii ac litterarum fuit, quarum accenſam cupiditatem non diuturnitas temporis explevit, non compreſſit labor, non rerum multitudo debilitavit: ut beatiſſimam ubertatem ingenii cognoſcatis, quo eminebat, conferamus ipſum, ſi lubet, cum majorum gloria, quos antea nominabam, qui aliquo diſciplinarum genere inclaruerunt. Nam Petri Antonii alia omnino mens fuit, quæ altius inſurgit, optimarumque rerum ſupellectili affluentior latius protenditur. Credet quiſpiam fortaſſe nimium etiam a me exornari præſtantiſſimum virum. Quem ego tandem exorno? Eum nempe, qui ipſe in omni prope litterariæ reipublicæ parte admirandum eſt ornamentum. Qui etſi ad philoſophicam facultatem ſe contuliſſet, quam adeo graviter ſplendideque Veronenſi in urbe multis abhinc annis profitebatur, ut magnus honos a cuncta civitate & ingenio & elegantiæ ſuæ tribueretur: non eo tamen ita mentem appulit, ut a caſtalio fonte Muſarum abhorreret, ac non operis ſubſecivis ad illarum hortulum amœniſſimum diverteret, præſertim cum magnum numerum

rum optimorum epigrammatum etrusco sermone elaborarit. Inter quæ illa imprimis quam excellunt, & quantum ei nomen pepererunt, quibus Angelæ Mericiæ integerrimam vitam & prodigia venuste expressit! An cætera idcirco neglexit, ut non eximiam inde sibi laudem repetendam duxerit? Perinde quasi debeat in eodem ipso divinarum rerum doctrina requiri, quam defendit in doctissimorum hominum corona adolescens; aut debeat sileri incredibilis ardor quidam animi, quo ad veræ & solidæ facundiæ palmam contendit.

Verum in communi omnium lætitia, Amplissime Præsul, ubi se magis efferri, & triumphare etiam quodammodo hæc oratio debet, cum te non modo hoc munere docendi, in quo me versari vides, summa nominis tui celebritate Venetiis Ducali in Seminario perfunctum esse intellexerim, verum etiam ingenii tui monumenta legerim, quibus palam factum est, quæ sit tua gravitas in dicendo, quæ facultas, quæ copia, doleo sane atque acerbe fero, me parem verborum, & sententiarum vim afferre non posse. Quanquam, Auditores, non doleo, hominem admiror, & gaudeo, eum locum mihi a fortuna datum, ut summum oratorem omni laude cumulatum quo demum cunque mo-

modo, ad cœlum tamen efferrem. Jam vero quorſum tot decora virtutum, & doctrinarum divinitus ad Petrum Georgium delata ſunt? Quia nempe ſi Eccleſia conſilium, gravitatem, ſapientiam, providentiam Antiſtitum unquam efflagitavit, hoc tempore, hoc, inquam, tempore efflagitat.

Hic equidem non poſſum, illa populi Cenetenſis quanta fuerint gaudia judicare, cum ipſum jam Antiſtitem ad eam Diœceſim primo accedentem ſuſceperunt. Videte tamen, quantum inter illorum gratulationem, & hanc noſtram interſit. Quam enim gaudii ſui cauſam tum afferre poterant? Magnam ſibi ſpem in Petro Georgio propoſitam, magnam felicitatem fuiſſe: eos nequicquam dubitare, quin ex privata & domeſtica exercitatione cum in frequentiſſimam celebritatem & clariſſimam lucem prodiret, titulum etiam & amplitudinem Epiſcopatus fortiſſime ſuſtineret. Ita quidem illi: at nobis licet iſta de ipſo certa cum gloria prædicare, cum ſacrum Paſtorem habeamus non in gerenda Diœceſi novum, ſed plurium annorum ſpatio ſpectatum & cognitum, qui non modo tueri expectationem ſui, quam excitarat, ſed ſuperare etiam potuiſſe videmus. Flagrantiſſimum in Eccleſiaſtica diſciplina promovenda ardo-

rem

rem illi tum providebant in hoc Antiftite futurum: immo vero quid boni non expectabant, cum totum Epifcopatum fore nihil aliud certo fperarent, quam perpetuam, fortem, atque invictam pro falute populorum contentionem? Hanc vero in ipfo nos intuemur, quam & initio ftatim ac Ecclefiæ clavum fufcepit, & poftea femper ufque ad hoc tempus, quo ad hanc Metropolim acceffit, non modo præfetulit, fed auxit etiam ex animo, & quo fe obftrictum effe fentiebat, officio. Quibus enim laboribus fudoribufque pepercit, ut vineam a Chrifto Domino confitam, divinoque fanguine fœcundatam, fi forte alibi fterilefcentem, alibi otiofam & incultam, vepribus alibi refertam videret, eam partem ad priftinam decoris gloriam & pulchritudinem revocaret. An cum Diœcefim obiret, partim afperrimis in montibus pofitam, partim in convallibus confragofis jacentem, quidquam accenfam viri cupiditatem retardavit, qua flagrabat, & rapiebatur? Nonne fervidior religionis amor ardentem agebat, & vires & animum miniftrabat, ut tanquam agricola diligentiffimus totum agrum Cenetenfem rore cæleftium doctrinarum irrigaret, ut gregem ad faluberrima pafcua deduceret? Quo facundiffimo viro quis poterat cohortari ad virtutem

ar-

ardentius? Quis a vitiorum cœno gravius revocare? Quis excitare bonos poterat salubrius? Tum profecto fructum cepit maximum illarum artium, quibus in Somascho Collegio olim puer instituebatur, ubi eloquentiæ usus viget, quæ ad usum forensem, ad rempublicam tractandam usurpetur ex tempore: nam habere ad populum solebat orationem Præsul gravibus sententiis instructam, perinde atque attulisset domo cogitatam multo ante, & diu elaboratam.

Quanquam nullum vestigium clarius reliquit sollicitudinis, qua pro salute ovium suarum afficiebatur, quam monumentum illud, quo ab immoderata luxuriantium ingeniorum libertate fidem nostram defendendam suscepit, ne suæ forte Diœcesi, quam non modo incolumem, sed ornatissimam esse cupiebat, labes quædam hisce præsertim difficillimis temporibus fucata nescio qua pietate improborum susciperetur. Cum enim videret in ipso Ecclesiæ sinu novæ doctrinæ novam formam in aspectum proferri, & inflammato partium studio acriter decertari, movebatur animo, & maxime pertimescebat, ne integerrimam religionem a majoribus traditam tanta opinionum varietas contaminaret. Quemadmodum enim e montano loco quæ decurrunt

runt

runt flumina, interdum aquarum divortio finduntur: ita e monte sancto, ubi fidei sunt fundamenta posita, partim, ut ita dicam, prope ad Caspium mare, partim ad Jonium sinum, alii vero ad alia littora austro, vel africo vento delati confluebant; cum prompta excellensque virtus Præsulis præstantissimi celeriter divinarum doctrinarum nitidissimos fontes requisivit, & unde integerrimam veritatem hauriri oporteret, frequenti Parochorum conventu adstante, qui in divi Titiani festo ex tota urbe, cunctaque Diœcesi, ut moris est, convenerant, qua constantia, qua gravitate dixit! Neque est ille vir passus, in ea loca, quæ ipse tot ornamentis virtutum decorarat, pestem illam atque labem aliunde inferri, cum omnem Parochorum cœtum cohortaretur, ut neglecta depravatorum calliditate, eam tantummodo nativam ac propriam doctrinam retinerent, quam nobis omnibus tanquam hæreditatem majores nostri reliquerunt.

Hæc sunt cum plena laudis, tum propria Petri Georgii, ea tamen non sunt, quæ tantam famam, quantam de ipso videtis, potissimum excitarint. Aliud nescio quid eximium in ipso & omnino admirandum eminet. Quæretis haud dubie, Auditores, quodnam sit istud ornamentum,

quod

quod omnem viri in gerenda Diœcesi industriam & sedulitatem tantopere illustrarit. Videbat sane, quantum humanitas populo cara sit universo: esse hanc unam, quæ veluti aureo quodam vinculo animos hominum sibi devinciret: hanc esse pacis & tranquillitatis fontem: hanc esse, quæ in sensum hominum etiam improborum influeret, profligatorum voluntatem deliniret, & facilius cum privatim, tum publice, quod vellet, consequeretur. Multa alia videbat, sed illud etiam, hanc esse prope ingeneratam familiæ Georgiorum. Etenim hujus frater Hieronymus ille nonne animum hac humanitate perpolitum ad Tarvisinam Præturam attulit, ubi cum in ipso flore juventutis vita decessisset, quam carus civitati fuerit, mœrore funeris declaratum est: reliquit tamen effigiem morum suorum, virtutis, pietatis, ingenii, filium non solum fortissimo viro mortuo Angelo Emo, ad cujus classem barbarorum bello se se contulerat, in qua adhuc navium præfectus versatur, verum etiam hoc ipso Patruo suo, a quo fuit educatus, litterisque instructus, dignissimum. Quid de aliis duobus optimis fratribus loquar, quibus propter populorum felicitatem utinam detur, ut ad maxime diuturnum tempus vitam producant.

Quibus enim ſignificationibus, quibus lacrymis redeuntem ad Venetam urbem Joannem Antonium Civitatenſes noſtri proſecuti ſunt, quem placidum, & tranquillum, amantiſſimumque Proviſorem perſpexerant! Ecquem vero commemorare poſſumus, parem affabilitate morum Angelo Mariæ unquam fuiſſe, quem, poſtquam Cephalenem inſulam gubernavit, in graviſſimum conſilium quadraginta virorum cooptarunt, maxime jucundum ſplendidiſſimo ordini Patriciorum, quem mirifice diligunt, & prope in deliciis habent? Ut enim anulum ex auro factum gemma exornat, atque ut roſa, quæ verni temporis regina nominatur, omnem florem venuſtate antecedit; ſic illam eſſe judicabat cæterarum virtutum decus, firmamentum dignitatis. Tribuant alii, per me licet, cauſis aliis hoc tantum deſiderium, quo Cenetenſem Præſulem noſtra provincia depoſcebat: dicam tamen plane, quod ſentio: ſi in eo ſublimi dignitatis gradu, in tanta virtutum, & doctrinarum laude, humanitas tanta non fuiſſet, quantam ipſe per ſe, per ſe, inquam, obtinet, cætera omnia non fuiſſent quidem meliora, quæ ſunt optima, ſed tantam certe quidem jucunditatem civibus non attuliſſent.

Quæ

Quæ fuit igitur in hoc homine humanitas? Humanitatem dico? nescio, an melius possim dicere suavitatem, qua tota provincia tantopere delectabatur, ut nihil gratum magis, quam sua auctoritas videretur. Aspicite ipsum quæso, vultum contuemini, os illud placidissimum, hilarem frontem, quæ animum, qualis sit, tacite declarat, annon suavissimis moribus constare totus videtur? Recordamini, quid de ipso prædicarent, qui ad eum e nostris Cenetam gratulatum se contulerunt, quem ita ad omnem rationem humanitatis factum cognoverunt, ut melius, etsi fuisset integrum nobis, fingi non potuisse confirmarent. Nam illud pulcherrimum semper existimavit, officio & comitate esse parem cæteris, etsi princeps esset dignitate. Quid? Nonne civibus suis & populo universo, ut omnes ad ipsum, cum res postularet, tanquam ad parentem commodius confugerent, sacris bene mane peractis, & peregre (quanquam ut omnia Pastoris munera obiret, vix aliquando, nisi ob causam justam atque magnam, aberat ab urbe, ne veris quidem, & autumni tempore, etsi amœnitas eum locorum, oppidorum pulchritudo, hominum liberalitas invitaret) & peregre, inquam, & domi, & quo demum cunque non occupato tem-

pore atque hora & ingenium, & laborem, & fidem ſuam promptam expoſitamque præbebat? Quæ porro tanta res erat & tam difficilis, quam non modo conſilio regeret, æquitate decerneret, verum etiam temperaret ſuavitate?

At enim hæc tanta facilitas dignitatem Epiſcopatus imminuebat? Quaſi vero bene de civibus mereri, laudibus ad cœlum extolli, affici amore glorioſum non ſit. Cum enim comparatum ſit natura, ut quod maxime a nobis amatur, id etiam maximi æſtimetur, tum profecto eo quiſque majorem ſibi auctoritatem exiſtimationemque conciliat, quo majorem benevolentiam excitat ſui. Quoties nos audivimus, res geſtas celebrari ſanctorum Præſulum hominum graviſſimorum Franciſci Saleſii, & Gregorii Barbadici, ut quorum veſtigiis noſter hic inſiſtit diligenter, eos potiſſimum honoris cauſa nominem, an quidquam de ipſorum dignitate idcirco detractum, aut de auctoritate direptum arbitramur, in quibus nullam eſſe laudem ampliorem ſcimus, quam eam, quam morum affabilitate conſecuti ſunt? Audebo hoc contendere, virtutem hanc eſſe non ſolum maximam, ſed etiam indicem omnium reliquarum, quam ſancti Patres in ſummo atque perfecto Antiſtite non modo poſtu-

lant

lant, verum etiam efflagitant, quæ cum eminentem effigiem Christi Salvatoris imitando exprimat, tum singularis in eundem amoris signum docent esse certissimum. Quapropter cum hanc optimam esse cumulatamque virtutem præstantissimus vir exploratum haberet, tum in oratione illa gravissima atque ornatissima, quam antea commemorabam, qua ab improborum insidiis religionem vindicabat, cæterorum etiam ministrorum cœtum ad eam ipsam excolendam excitabat, ut divinæ legis severitatem, saluberrimam illam quidem, at humanis cupiditatibus ingratam atque invisam, mansuetudine morum, & comitate sermonis temperando aspergerent. Nunc jam videmus ejus benignitatem in omnes esse sine ullo discrimine diffusam.

Quinam vero potissimum hoc tam excellenti bono fruebantur? Nisi equidem timerem, ne oratio mea in invidiam vocaretur, nominatim commemorarem hoc loco, in quos mira benignitate, ac divino studio extiterit; quam eosdem benevole, quam amanter, quam liberaliter tractarit. Quæ quidem a me, si ut dicenda sunt, dicerentur, constituerem vobis ante oculos imprimis variam litterarum fortunam modo afflictam & depressam, erectam modo & vigentem. Animos ve-

ftros ad memoriam temporum præteritorum revocarem, quibus eo magis litteræ floruerunt, quo magis easdem principes viri auctoritate sua, præsidioque tuebantur: his autem opibus sublatis miserrime contabuerunt. Hoc tamen brevissime dicam, cum noster hic sæpenumero Seminarium suum adiret, quem locum ministerii sui partem non ultimam judicabat, cum adolescentum Clericorum exercitationes sua præsentia judicioque honestaret, cum animum illis adderet, cum eosdem præmiis afficeret, fervidiorem quidem apparuisse disciplinarum amorem. Nam hæ fuerunt validissimæ illæ causæ, quæ animos adolescentum sollicitabant, cum audiente Antistite disputando dimicarent: hi fuerunt illi igniculi, quibus exultabant gaudio parta victoria: hæ illæ ardentissimæ faces, quibus incensi dolebant, si quando victi fuissent industria cæterorum. Quid tamen humanitas tua, Præsul Amplissime, tum agebat? Quonam tuam mentem conferebas? Qui sensus erat consiliorum tuorum? Quid spectabas, cum locum illum in animo, in sermone, in deliciis haberes? Quid aliud, nisi totius Diœcesis statum, quo in loco ille flos juventutis institui oportebat, qui summi viri & clarissimi essent aliquando futuri, qui in Ecclesiæ gradu aliquo collocæ-

locari deberent, e quibus plebs cætera omnium suorum factorum exempla desumeret, qui denique litterarum gloriam ad proximum sæculum, immo ad omnem posteritatem essent propagaturi. Sed hæc respectantes, atque intuentes memoriæ potius, quam vocis testimonio conservemus. Videte eam benignitatem Petri Georgii, qua eos prosequebatur, & fovebat, qui rerum inopia premebantur. Nam si verum & proprium nomen humanitatis quæratur, eam habet vim, ut non modo alios benigne complectatur, sed etiam vel maxime, ut opem ferat.

Sint itaque æterna in laude, quæ in medium proferebam, sint præclarissima, ut sunt; hæc, quæ dicam, incredibilem omnino pietatem declarant celeberrimi viri, cujus paucos pares hæc ætas tulit. Fateor equidem beneficum, & liberalem hominem dici non multum fortasse habere laudis, præsertim in Episcopo, cum ipsa dignitatis natura & conditio postulet, ut redundantem facultatem vel ad cultum rerum divinarum convertat, vel egenis impertiat. At vero siquis ad infimorum & tenuissimorum hominum egestatem levandam sibi sua commoda detrahit, si tantam pecuniarum vim profundat, ut ipse egere videatur, quæ libe-

liberalitas major? quæ excelſior animi magnitudo? quæ benignitas ex omni memoria illuſtrior? In quo profectò graviſſimi, atque omni laude digniſſimi Præſulis Joannis Hieronymi Gradonici, cujus ſemper in hac Diœceſi grata vigebit recordatio, hunc noſtrum extitiſſe æmulum, atque imitatorem video. Atque ut duorum Archiepiſcoporum ſimilitudinem in rerum humanarum contemptu, effuſaque largitate videatis; an Joannem Hieronymum menſa conquiſitiſſimis cibis inſtructa & parata, an conchyliata periſtromata, an cælatum argentum, an pretioſa veſtis, an ſervorum multitudo prolectabat? Voſmetipſi recordamini, quanta cunctis in rebus mediocritate & temperantia uteretur. Ita ſane: hoc par moderatiſſimorum Antiſtitum in ſua quiſque Diœceſi ſe geſſerunt, nullam ut unquam divitiarum cogitationem ſuſceperint ad pompam, ad delicias, ad amœnitatem, verum uterque immemor ſui, memor gregis, opes, quibus præditi erant, ad beneficentiam duntaxat, & liberalitatem contulerunt. Hic etiam, etſi tam munifice rem ſuam donaret, illo præſertim octo menſium ſpatio, cum uno genere morbi civitas affligtaretur, tamen animo ſe angi dicebat, perinde quaſi parum eſſet dilargitus. Venit jam mihi in men-

mentem, quo animo erat in tanta civium calamitate. Etenim cum nihil ſibi, niſi de ſalute ſuorum cogitandum putaret, non ſolum opes fudit, ſed quoniam tempore tam luctuoſo, quocumque vocabatur, libentiſſime adibat, ut infirmos conſolaretur; propter influentium morborum vim obtulit etiam in diſcrimen vitam ſuam. O charitatem vere patriam, admirandam illam quidem, ſed nulla unquam ſatis digna oratione exornandam!

Intellectum eſt ſane ex tuis litteris, Præſul Ampliſſime, quarum exemplar legi, te non mediocriter fuiſſe perculſum, cum cogitares, quantum tibi oneris novæ dignitatis acceſſione imponeretur: te ipſum tamen animi tui conſcientia ſuſtentari, quod non precibus eam ipſam poſtularas, non ardenti ſtudio potentium virorum a ſapientiſſimo Senatu contenderas. Illud etiam adjungebas, te in hoc altiſſimo gradu collocatum, non tam virtutis tuæ cauſa, quam quod te cives noſtri deſiderarent. Eſto concedatur: ſpectarit Senatus voluntatem incredibiliter conſentientem omnium noſtrum. Quid porro plauſus illi, atque adeo teſtimonia omnium civium, parum ne, quæ tua ſit virtus, declarant? Cum enim ad probitatem egregiam, & præſtantem doctrinam affabilis humanitas accedit;

tum

tum neſcio quid ſingulare, ac plane divinum ſolet exiſtere, quod non modo locum voci obtrectatorum non relinquit, ſed linguis omnium mirum in modum celebratur.

En igitur, Auditores, ille vir, quem nobis cuſtodem ſuperi dederunt, ut tantæ virtutis nos potiſſimum uberes fructus, diuturnoſque perciperemus: magno quidem cum dolore Cenetenſium ſuorum: id fateor. Poterant ne ipſi non graviter animo commoveri, cum amantiſſimum patriæ parentem e ſinu gremioque patriæ divelli viderent, quibus nullum ab ipſo amoris, nullum pietatis officium unquam defuit? Quanquam dum mihi illorum querimoniæ occurrunt, e quibus intelligi debet, deceſſionem hanc illis fuiſſe acerbiſſimam; tamen ne hujus diei celebritatem aliena lamentatione obruamus, eſt profecto in eadem jactura, unde aliqua ex parte & ipſi recreentur; eſt, cur debeant non mediocriter lætari, præſertim cum non eam dignitatem ſit adeptus, quæ nihil omnino ad eoſdem pertineat, a quibus diſceſſit. Videbatur ſane diſtrahi ab eorum complexu: verumtamen faciant hoc loco, ut recordentur, hunc quidem noſtrum eſſe Paſtorem, at ipſorum etiam Metropolitanum. Non itaque Antiſtitem omnino amiſerunt, ſed al-

tiori

tiori gradu dignitatis decoratum conſpiciunt. Tot enim immortalium meritorum ſplendor majus theatrum, in quo luceret, efflagitabat: par erat, ut ſua laus in conſpectu ampliſſimi Metropolitani Capituli verſaretur, in ea Diœceſi, quæ cum ab eadem ipſa ſit profecta, qua nulla clarior poſt Sedem Romanam jamdudum erat in univerſa Europa, tum maximam priſtinæ gloriæ partem retinet. Hanc noſtra ætate fundatam recordamur, quæ cum ſtatim a principio ſui magnorum virorum copia redundarit, & hoc etiam tempore egregiis pietate, & doctrina viris exornetur: nonne Præſulem etiam talem eſſe decebat, ut cum antiquis Patribus poſſet conferri, qui florente Aquilejenſi Diœceſi imprimis floruerunt?

Quapropter adeſte quæſo, & audite, cives, quæ de Petro Antonio Georgio ominaturus ſum, & vocem hanc indicem veſtræ felicitatis animis, ac memoria tenetote: in ſpem firmiſſimam adductus teſtificor, & ſpondeo fore, ut hoc ſummo viro duce aurea veterum Patrum majorumque noſtrorum tempora revireſcant. Etenim Paſtorem religionis inflammato ſtudio clariſſimum, ſingulari ingenio omnique doctrinarum varietate inſtructum, qui ſplendidiſſimum Metropolitano Capitulo ornamen-

mentum, felicitatem urbi, optimarum artium disciplinis præsidium firmissimum afferret, mitem, magnanimum, beneficum, liberalem nos omnes in commune bonum consentientes videre in altissimo hoc gradu positum cupiebamus, videmus.



NOTE.

Bernardo Zorzi, che fiorì nel 1500. espone l'antica origine della sua Famiglia in questi versi:

Protulit Auctores olim Germania nostros,
Ticino illustri propofuitque Duces.
Egressi ast illinc, iisdem cum bella vigerent
Attilæ, ad stagna hæc se retuiere sua.
Unde hanc cum sociis urbem extruxere potentem,
Quæ splendor vere est totius Italiæ.

Questa famiglia nobilissima fu sempre riguardata con occhio di predilezione dal Pubblico; e fu anche presso il popolo in benedizione, perchè tra tutte le virtù ereditarie fu sempre il suo genio predominante la generosità, l'affabilità, la dolcezza.

Fantino Zorzi nel 1381. fu spedito a domar quei di Tenedo. Così il Sabellico: „ earum navium imperium Fantino Georgio est datum .... recepta arce Fantinus, reliquis ex insula dimissis, ipse cum sagittariis ducentis remansit. „

Papone Zorzi fece l'acquisto dell'Isola di Curzola con la scorta del solo suo coraggio, e con le spese della propria Casa; nel qual possesso, lasciatogli proprietario con titolo di Conte dalla pubblica munificenza, ebbe per successor quel Pietro, che nel 1250. essendo General delle forze della Serenissima Repubblica rese tributaria l'Isola di Rodi dominata da Simeone Gauio; indi portossi a rimettere nella ubbidienza il proprio stato di Curzola, e avendo nell'arder del combattimento perduta l'insegna, espose alle milizie un lino tinto nel proprio sangue, che poi vincitor rimanendo volle lasciarlo a' posteri per arma della famiglia. Questa Casa ne' tempi susseguenti in vece di quell'antico diritto ricevette dal Senato la Contea di Mel tra Beluno e Feltre.

Fu eletto Doge nel principio del secolo XIV. Marino Zorzi cognominato il Santo. Monumenti della pietà di lui sono il Convento e la Chiesa di S. Domenico di Castello, che egli ha fondati.

Francesco Zorzi Minor Osservante compose: *Harmonia Mundi*. *Emblemata S. Scripturæ*. Vedi degli Agostini Vite degl' Illustri Veneti.

Marco Zorzi Servita vien riportato dal Zeno tra gli Eccellenti Scrittori Patrizj.

C Bar-



Bartolommeo Zorzi fu riputatissimo Poeta Provenzale anteriore al Petrarca.

Marin Zorzi fu dottissimo Filosofo, e Orator celeberrimo. Esiste il suo sepolcro con una lunga Iscrizione nella Chiesa di Santo Stefano di Venezia.

Benedetto Zorzi fu Bibliotecario della pubblica libreria di Venezia nel 1600. e Mecenate de' letterati.

Girolamo Zorzi fratello di S. E. Rma avrebbe formate le delizie della sua Patria, e portata la felicità alle popolazioni, alle quali fosse toccata la ventura di averio a Rettore, se non fosse stato prevenuto dalla morte nell'attual suo gloriosissimo reggimento di Treviso.

Pier Antonio Zorzi figlio del sopraccennato Girolamo fu ammaestrato nelle lettere dall'amantissimo suo Zio nostro Prelato, e nell'armi dal N. H. Angelo Emo. Ha composto con eleganza e robustezza di stile un poemetto sopra la tempesta, da cui fu colto, mentre inseguiva il nemico.

Giannantonio Zorzi fratello di S. E. Rma, Personaggio d'un carattere il più dolce, ed il più umano, resse con universale applauso Cividale del Friuli in qualità di Provveditore. Nella sua partenza a significazione degl' interni sentimenti di gratitudine più che le pubbliche dimostrazioni han parlato le lagrime di tutta quella popolazione. Nel qual governo ad obbligar la gente di qualunque condizione ha confluito molto l'edificante pietà, e le nobili maniere dell' Eccma N. D. Catterina Corner dignissima di lui consorte.

Angelo Maria Zorzi parimente fratello di S. E. Rma, Giudice riputatissimo nei Consigli Eccmi del 40. ultimamente ritornato dalla reggenza di Cefalonia, di nuovo fu risposto nel veneratissimo Corpo del 40. Gode questi stima, ed affetto particolare appresso i più cospicui soggetti della Repubblica.

Opere stampate di S. E. Rma. 1. Un' Orazione panegirica di San Bernardo. 2. Atti della B. Angela Merizi descritti in cento Sonetti. 3. Lettera Pastorale alla Diocesi di Ceneda. 4. Lettera Pastorale sopra la Sacra Visita. 5. Istruzione Pastorale sopra la diminuzione di alcune feste di Ecclesiastico precetto accordata dal Regnante Sommo Pontefice. 6. Lettera Pastorale sopra gl' importanti doveri degli Ecclesiastici. 7. Homilia de Verbi Dei praedicatione. 8. Lettera Pastorale alle RR. MM. del Corpus Domini di Conegliano nell'atto di presentar loro la Regola di S. Agostino, e le Co-